




**V**ICARIUS in Spiritualibus Ecclesiae Eystetten. generalis, Vniuersis  
 & singulis Plebanis, Viceplebanis, & sacerdotibus quibuscunq; curam  
 animarum regentibus, per Ciuitatem & Dicecesim Eystetten, ubilibet  
 constitutis, Salutem in Domino. Vobis autoritate *Atque in Christo*  
*pariter in dno dno Eberhardi Epi Eystetten p[ro]p[ri]i in Archid[oc]o[rum] by.*  
*W. Salsburgensis* in uirtute sanctae obedientiae mandamus,  
 quatenus singulis quibusc; diebus Dominicis & festiuis, per totam  
 Quadragesimam, populum curae uestrae commissum, in concionibus  
 uestris, diligenter moneatis, ut Constitutioni sanctae matris Ecclesiae  
 hoc sacro tempore satisfaciant; uidelicet ut omnia peccata sua proprio  
 sacerdoti fideliter confiteantur, & Sacramentum Eucharistiae tempore  
 Pascali reuerenter suscipiant. Cum autem, uti accepimus, sint nonnulli,  
 qui dubitent, utrum semel saltem, uel bis, iuxta eandem sacrosanctae Ec-  
 clesiae constitutionem, confiteri teneantur, illos omni diligentia eò indu-  
 catis, ut grauitatem causae & periculi, nempe saluationis seu damnatio-  
 nis aeternae, recte perpendant, atq; consuetudinem cum generalem, tum  
 etiam antiquissimam, tam Cathedralis, q̄ aliarum Ecclesiarum Dice-  
 celis Eystetten, (quae certissima est legum interpret) sequantur, seseq;  
 eidem conforment, atq; bis confiteantur, semel scilicet ante uel circa me-  
 diam Quadragesimam, & posthac iterum ad sacram communionem  
 tempore Pascali. Ita enim praedictam constitutionem à maioribus constat  
 esse obseruatam. Quod si qui forte fuerint, qui ad binam confessio-  
 nem eo modo faciendam, omnino per uos nulla ratione persuaderi aut  
 induci poterunt, ut eosdem nihilominus tempore Pascali ad sacram  
 communionem admittere possitis (si tamen alioqui prius rite contriti,  
 & legitime cōfessi fuerint) eadem Autoritate, & pro hac uice, in con-  
 scientias eorum, ex probabilibus rationibus indulgemus. Caeterum  
 quod ad esum carniū, & aliorum ciborum ab Ecclesia prohibitorum  
 attinet, similesq; quoq; semper exhortationes in concionibus uestris fa-  
 ciatis, plebemq; uobis commissam ad obedientiam debitam moneatis,  
 Rebelles nobis tempore congruo denunciañ. Alioqui si in praemissis  
 negligentes reperti fueritis, contra uos & quemlibet uestrum ad poenas  
 debitas procedemus. Datum Eystet sub Sigilli Vicariatus impressio-  
 ne. Anno Domini. M. D. 54 Die uero 17 Januarij  
 Mensis.



Ingalp S  
Argini B p